

No. 72. 1309. 8. Nov.

*Probst und Capitel sichern ihrem Wohlthäter Rudeger von Basel auf Lebenszeit eine jährl. Rente von 10 Mark zu.*

Conradus dei gratia praepositus, Johannes prior totumque capitulum canonicorum regularium sancti Thomae in Lipzk omnibus praesentem litteram visuris salutem in omnium salvatore. Quoniam fidelis et dilectus amicus noster Rvdegerus de Bazele, non contentus varietate beneficiorum, quae nobis in redemptione bonorum quae fuerunt quondam Symonis et Johannis fratrum dictorum Beeke exhibuit eadem bona quinquaginta marcis a perditionis et alienationis ab ecclesia nostra voragine eripiendo, quin etiam dicta bona duodecim iugeribus quae pro decem marcis emit ampliando, curiam quoque, quae olim fuerat domini Alberti de Russewin, quam pro decem marcis cum turculis annexis comparavit nobis ad colendum ex ea praedicta bona liberam deputando, nisi insuper nunc demum praefata bona et agros augmentatos et curiam praedictam cum iurisdictione et utilitate necnon cum omni iure, quo ad eum hactenus pertinuerant, nobis cum instrumentis sibi a nobis super his datis liberaliter et voluntarie resignavit, nos pietati eius vicem recompensationis reddere volentes et necessitati eius quamdiu vixerit providere largiter cupientes de communi consilio eidem bona voluntate decem marcas argenti annis singulis in terminis subscriptis per plebanum sancti Nycolai sine contradictione et dilatione de offertorio dandas sub illatione suspensionis ab ingressu ecclesiae in praepositum et in plebanum praedictum quicumque pro tempore fuerint si secus facere attemptaverint deputamus, in nativitate Christi IIJ m., in festo paschae IIJ m., in pentecosten unam m., in assumptione beatae virginis unam m., in communi septimana II m., in die animarum I m. Et ut haec inviolabiliter observentur, praesentem litteram non solum nostris sigillis praepositi videlicet et conventus, sed et reverendi patris ac domini nostri H. Merseburgensis episcopi pro confirmatione praemissorum procuravimus sigillari. Acta sunt haec anno domini millesimo CCC°.IX°. in die sanctorum quatuor coronatorum de consensu domini Alberti quondam praepositi, Jo. Haulonis, Jo. de Drileyben, Siffridi List, H. de Nova civitate, H. Karas, Wil. Tanz et ceterorum ecclesiae sacerdotum, de scitu quoque et consilio civium Lypezensium videlicet Nycolai de Grimmis magistri consulum, Jo. de Yleburch, Rulonis de Berngershagin, Ber. de Vriburch et ceterorum consulum, qui sigillum civitatis Lipzk pro testimonio suo praesentibus appenderunt.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig; an Pergamentstreifen hängen die Siegel des Bischofs zu Merseburg, des Probsts und des Capitels zu St. Thomas, dann das der Stadt Leipzig.